



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De causis excusantibus à præcepto audiendi sacrum. 17

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

expressè colligitur ex cap. omnes fideles. cap. cum ad celebrandum de consecrat. dist. 1. & ex vlt. praxique Ecclesie, sicuti videre est apud Nauarr. cap. 21. num. 1. Henric. lib. 9. cap. 15. n. 1. Sanchez lib. 1. sum. cap. 12. num. 10. Suar. disp. 88. sect. 4. Egid. de Coninch. que. 83. art. 6. dub. vno num. 286. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. p. 11. a. n. 7. & alios.

12. Locus pro Missa audienda parochia fuit ex multorum Canonistarum sententia, iuxta cap. vlt. dominicis. De parochiis. Et cap. si quis etiam de consecrat. dist. 1. At consuetudine firmatum est nullum locum esse determinatum, fauetque Trident. sess. 22. decreto de obseruand. in celebrat. Missar. quatenus solum ex consilio, & monito Episcoporum obligati sunt fideles ad proprias parochias accedere, & ita tanquam certum tradunt post alios Suar. disp. 88. sect. 2. post med. Barbof. alleg. 24. nu. 17. Quinimo non posse Episcopum præcepto, excommunicatione, aliavē censurā cogere fideles ad audiendum Missam in propria parochia asserit ex praxi Episcop. 2. p. verbo Missa. §. 6. Barbof. supra. Etenim Episcopus iuri communi, & priuilegiis à Sede Apostolica concessis derogare non potest. Cum ergo cuiilibet fidei iuri communi concessum sit quolibet loco posse præcepto audiendi Sacrum satisfacere, nequaquam poterat Episcopus contrarium velle, maxime si fideles in Ecclesiis mendicantium sacrum voluerint audire. Habent enim Mendicantes priuilegium declarans quoslibet fideles ibidem Sacrum audientes præcepto satisfacere, neque impediri posse, vti ex Leone X. refert Barbof. dicta allegat. 24. num. 20. Neque huic doctrinæ obstat, quod possint fideles occasione verbi diuini audiendi obligari ad parochias accedere, quia non obligantur, vt Missæ præcepto satisfaciunt, sed vt in necessariis, & vtilibus ad salutem instruantur à suis parochiis. Quia etiam ratione obligari regulares possunt ab Episcopo, vt in suis conuentibus diebus Dominicis in Missa conuentuali declarent populo quæ festa, & ieiunia in ea hebdomada occurrunt, ne propter ignorantiam contingat ea Ecclesiastica præcepta violari, vt bene aduertit Eman. Rodrig. t. 1. regul. q. 43. art. 7. & ex illo Barbof. d. alleg. 24. n. 21.

13. Solum est difficultas de licentia, quam Ordinarij solum concedere celebrandi in priuatis oratorijs. Etenim ex præscripto sacra Cōgregationis habetur teste Quaranta verbo missa. vers. quarta. Molfeso, tract. 3. cap. 17. num. 70. Ordinarios sub hac forma concedere facultatem debere, vt soli familiares domus Ecclesie præcepto satisfaciunt ibidem Missam audiendo, secus extranei. Ex qua concessione videtur inferri extraneos ibidem Missam audientes præcepto Ecclesie non satisfacere, sicuti non satisfacerent præcepto communicandi tempore Paschatis, si ibidem communicarent, sed necessario obligandi sunt ad propriam parochiam, vt regularium Ecclesias accedere, Atque ita sustinet Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. 11. num. 4. Sed fateor hanc doctrinam mihi difficile esse. Nam si iure communi spectato non astringeris Missam in determinato loco audire, sed liberum tibi est quolibet in loco sacrificio inesse. Si de facto in priuato oratorio Missam audias, præcepto Ecclesiastico satisfacis, quia rem præceptam exequeris quantumvis nollet Episcopus te audientem sacrum in priuato Oratorio præcepto satisfacere. Non enim ipse impedire potest præcepti satisfactionem; si illius executionem non impedit. Secus procedit in communione paschali, cum iure communi in propria parochia facienda sit. Quo circa credendum prædictum priuilegium sub illa forma concessum sic esse explicandum, vt non audientes sed celebrantes astringat, ita vt nemini ibidem concedatur potestas celebrandi, nisi aliquis ex familiaribus vel ibidem diebus Dominicis, & festiuis audire, vt præcepto Ecclesie satisfaciatur.

14. Ad extremum aduerto sæpè contingere te audisse Missam, & tamen peccasse mortaliter contra hoc præceptum, eo quod voluntariè commoratus fuisti tanto tempore, vt te exposueris periculo morali non inueniendi Sacrum, tamen calu euenerit inuenisse, quod non impedit quin à principio peccasses. Econtra vero contingit te non audire sacrum, nec tamen peccasse mortaliter, quia per te moraliter non stetit quin audires, sed sacerdoti sacrum maturanti, & hora consueta non celebranti tribuendum est. Vnde confessarij diligentes debent esse in penitentibus examinandis, an inquam le exposuerint periculo omittendi sacrum, an eo die, quo sacrum omiserunt, fecerint quantum in ipsis fuit, vt audierint.

PUNCTVM VLT.

De causis excusantibus a præcepto audiendi Sacrum.

1. Varia sunt causa.
2. Ex impotentia spirituali sumitur sufficiens excusationis causa. Et qua hæc sit.
3. Secundo ex impotentia corporali absoluta.
4. Tertio ex impotentia morali.

5. Quarto ex titulo charitatis.
6. Quinto ex officio, seu iust. obedientia.
7. Sexto ex consuetudine.
8. Septimo ex maiori vtilitate, vel necessitate.
9. Octauo ex parte sacerdotis.
10. Omittens Sacrum ex impotentia, vel malitia non tenetur alias preces loco Missæ subrogare.

1. **V**ariæ causæ enumerantur, quæ huius præcepti transgressorem liberant, de quibus latè Sorus in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. Nauarr. cap. 21. Azor. lib. 7. cap. 7. Henric. lib. 9. cap. 25. à n. 10. Graffis 1. p. lib. 2. cap. 35. Et licet Bonac. disp. 4. q. vlt. p. vlt. Sed præ omnibus Suar. disp. 88. sect. 6. Ex quo ferè omnia dicenda mutuabimur.

2. Primum caput excusationis est impotentia spiritualis id est ex causa spirituali proueniens, qualis est, si fide data, & maxime iuramento obstricta, vel ex legitimo superioris præcepto obligatus esses domi contineri. Item si excommunicatus, vel interdictus esses. Et licet negligens esses in abolutione censuræ procuranda, non obinde aduersus hoc præceptum peccabis; quia vt in tract. de excommunicat. latius dicemus. Et tract. 3. de legib. disp. 1. punct. 21. diximus ex vi huius præcepti non teneris impedimenta tollere, quæ illius executionem impediunt. Etenim solum te obligat dum liber es, & expeditus, & docent in præsentī Nauarr. cap. 21. num. 2. Azor. lib. 7. cap. 7. q. 1. Suar. disp. 88. sect. 6. num. 1. Henric. cap. 25. n. 11. Saa. Missæ auditio num. 3. Bonac. plures referens disp. 4. q. vlt. p. vlt. n. 32.

Sed est difficultas an ex interdictione generali excuseris ab hoc præcepto, tamen Bullam Cruciatæ, vel aliud simile priuilegium habes? Affirmat Stephanus Dauila referens victoriam, & Canum, & alios viros doctos, s. p. de consur. disp. 4. sect. 2. dub. 6. concl. 2. Et probabiliter reputat Eman. Saa. Missæ auditio num. 4. Mouetur, quia interdictione locali non solum sublatum est omnibus laicis præceptum audiendi sacrum, sed loco illius appositum præceptum contrarium, ne scilicet eo in loco Missam audiant. At esto per priuilegium ab hoc secundo præcepto eximantur, possintque sacrificio interesse, primū præceptum, quod occasione interdictionis sublatum est, non censetur durante interdictione redire, ergo ad audiendum Missam obligati non sunt. Secus procedit in carcere detentis, si permitterentur exire ad Missam audiendam, quia eo casu non censetur carcer durare, neque carcer tollit præceptum audiendi sacrum, sed suspendit illius executionem. Ex qua doctrina inferit Stephan. Dauila habitatores alicuius loci, in quo appositum est interdictionis, obligatos non esse alio in loco Missam audire, quamuis distantia alias secluso interdictione non excusaret à Missa ibidem audienda, quia interdictionem locale tollit habitatoribus illius loci obligationem audiendi Sacrum. Sed rectius Suar. disp. 88. sect. 6. nu. 2. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. vlt. num. 2. a. alique communiter negant te excusatum esse; quia interdictionem locale nulla alia ratione censetur tollere præceptum audiendi Sacrum, nisi quatenus prohibet illius audicionem. At habentibus Bullam Cruciatæ, vel simile priuilegium, non prohibet Missæ audicionem, vt de se constat. Ergo habentibus Bullam non est sublatum prædictum præceptum, ideoque obligatio audiendi Sacrum non est priuilegio, sed ex præcepto Ecclesiastico oritur. Religiosi vero & clerici quia secundum ius commune cap. quod in te De penitent. & remissionib. Et cap. quod nonnulla de priuileg. non sunt comprehensi in locali interdictione, sed possunt diuina celebrare seruata moderatione, de qua in cap. alma mater de penitent. Et remissionib. tenentur secundum omnium sententiam Missam audire, quia comparatione horum non est interdictionem, seu prohibitio facta. Vnde ipsi potius dicentur non comprehendi prohibitione, quam priuilegio vti. Nomine religiosi Nouitij, veniunt intelligendi, & nomine clericis, etiam prima tonsura insigniti, quippe est fauor Ecclesie, & religioni factus. Vti docuit Nauarr. cap. 25. n. 95. Et cap. 27. n. 175. Syluest. Henric. Et alij quos refert, & sequitur Auila supra, dub. 4. concl. 3. Et 4.

Secundum caput excusationis est corporalis absoluta impotentia, qualis est, si ob aegritudinem quam patris, vel ob carcerem quo detineris, impotens esses adire templum, quia præceptum obligare non potest ad impossibile. Solum est aliquis dubitatio, an teneris audire Sacrum, si vi priuilegij ab hac impotentia liberari possis. Exemplum est si priuilegium habes domi, in nauis, vel in carcere celebrandi, quo priuilegio vrens poteris à prædicta impotentia liberari, siquidem in carcere, vel in nani detentus, vel domi egrotans Sacrum audire posses, dubium ergo est an teneris: Didac. Nufiez. q. 85. art. 6. versus finem. concl. 2. pag. 521. censet te obligatum esse, quia ex præcepto audiendi Missam obligaris media apponere quæ tibi graua non fuerint, sicuti non est priuilegium prædicto vti. Verius & probabilius est ab hac obligatione te esse exemptum, quia non tenetur vti priuilegio maxime odioso iuri communi contrario, & reuerentie sacramenti parum conformi. Media igitur quæ ad executionem præcepti obligaris apponere, sunt

re, sicut media per se ad illius executionem ordinata, non extraordinaria, & quae tantum ex promissione conceduntur. Atque ita sicut in Suar. disp. 88. sect. 6. num. 2. Filiucius tract. 7. cap. 7. quast. 11. numer. 224. Bonac. disp. 4. de Sacram. quast. ult. pun. ult. numer. 14. Layman. lib. 4. sum. tract. 7. cap. 4. numer. 3. Adduntque praedicti Doctores Suar. & Bonac. eodem fundamento nixi, re non esse obligatum Sacrum audire, si pro illius audicione tibi necessarium est celebrantem conducere: est enim medium extraordinarium, neque in praecipuo audiendi Sacrum contentum. Etenim hoc praecipuum est de Sacro audiendo, quod aliis celebratur, non quod indiget stipendij solutione, ut celebreretur.

4. Tertium est moralis impotentia, quam inducit iactura alicuius boni mediocriis aestimationis, vel aliqua difficultas, seu labor non mediocriis in Sacro audiendo. Hoc enim praecipuum, ut ferè omnes Doctores, docent siuae est, & consequenter ex causa mediocriter graui eius obligatio cessare potest. Quae autem sufficiat arbitrio prudentis relinquatur. Aliquis tamen casus enumerant Doctores, maxime Suar. dist. sect. 6. num. 3. ex quibus alij deduci possunt. Primo ex iactura vitae certa est exculatio; siquidem vita ex bonis corporalibus est praecipuum. Vnde si ob audiendam Missam in probabile periculum vitae incurras, vel ob inimicitias, vel ob intemperiam aetatis, vel ob aliam similem causam, manifestum est te esse excusatum. Secundò excusaris ex iactura salutis. Si enim cum infirmis sis, vel non satis robustus, probabiliter timeas aggravandam esse infirmitatem; vel retardandam conualecentiam, si domo exeas, & Ecclesiam adeas, excusaris ab obligatione. Ut autè securè procedas in casu dubio monent Bonac. disp. 4. de Sacram. quast. ult. pun. ult. numer. 3. consilium medici, superioris, vel parochi postulandum esse. Sed ut bene Suar. loco allegato, optimè hoc periculum exploratus ex aliis negotiis. Si enim timor aggravandi infirmitatem impediatur egredi lecto, vel domo ad negocia aequalis, vel maioris laboris, iudicium optimè est adesse probabile periculum uocemur. Secus e contra. Idem quod dictum est de infirmo, dicendum est de feminis grauidis, quae quodam modo infirmantur. Ad haec reduci potest, si longè ab Ecclesia habitas, ad illam accedere non possis absque graui modestia, & difficultate quod prudentis arbitrio diiudicandum est spectata loci, temporis, & personae qualitate. Regulariter distantia per Iosephum, si pedibus iter conficiendum est excusatur, intro & minor distantia, si imbres, tempestates, aut nives ingruant, ut bene Suar. dist. sect. 6. num. 3. Henric. numer. 10. Bonac. numer. 12. Deinde si occasione Missae audiendae timeas rixas graues suboriendas esse, vel propter veteres aliquas inimicitias, vel propter locorum ordinem, & dignitatem, poteris ab audienda Missa excusari, quia tibi, aliisque graue nocuum inde prouenit, & tradit Nauarr. cap. 21. num. 5. Azor. cap. 7. quast. 1. Bonac. aliis relatis. pun. ult. numer. 9. Suar. sect. 6. numer. 4. Ob eandem causam Doctores communiter excusant mulierem, quae timeas grauem rixam, seu iram mariti, omittit Missam, ut conuenienter tempore, & modo omnia preparat, & occasionem perturbationis tollat; quod intelligendum est de perturbatione graui, & alicuius momenti, secus de leui: haec enim dissimulanda est, & patienter sustinenda. Sic Henric. num. 30. Suar. num. 6. Bonac. num. 10. Ad idem est si maritus ob zelotypiam non permittat uxorem domo exire, quae si absque graui incommodo vitare non potest; poterit maritus condescendere ad proprium damnum vitandum, ut latius docent Henric. Azor. Suar. Bonac. loco allegatis. Tertio excusaris ob iacturam honoris, quo titulo excusatur qui ab inimico timet iniuriam grauem. Item qui non ualeat absque dedecore in publicum apparere, eo quod careat veste decenti, dum enim in eo statum est constitutus comparatur ei qui vinculis est alligatus leg. in eadem causa ff. de quibus causis. Huc spectat si femina nobilis, vel vir carcat solito, & decenti comitatu, ob cuius defectum timet grauius contemni. Sic Nauarr. cap. 21. num. 5. Henric. cap. 25. num. 30. Saa, Missae audicio, numer. 3. Bonac. plures referens num. 8. Monent Doctores eandem in hac parte esse procedendum, neque extendenda licentia ad superfluos ornatus, & comitatus, considerandumque an possint fecerit summo mane, vel in Ecclesia remota Sacrum audire absque probabili periculo praedicti nocuum. Nam si ita est, nulla apparet legitima excusationis causa, cum facile possint praecipuum implere. Ad idem est si femina timeat grauem infamiam domo exiens, & coram aliis apparens; eo quod grauida sit, & non possit lapsum occultare nisi domi se contineat, cum tamen a populo honesta reputetur. Addenda est praedicta limitatio, modo non possit secretò Missam audire. Quarto excusaris ob iacturam bonorum temporalium. Si enim Sacrum audire non possis, quia domum solam relinquas cum periculo furtis excusaris ab obligatione, sicut ex communi sententia docent Nauarr. Henric. Suar. Bonac. alij loco allegatis. Hoc titulo excusatur viator, qui si Missam audire, perderet comites in via, qui cum à latronibus securum reddebant, vel expensas suppedabant, vel onera deferbant, vel viam monstrabant, vel tedium itineris

longi non leuiter leuabant, quibus amissis timet à latronibus vexari, vel etiam errare, vel cogitur onera portare, & expensas facere, vel cum graui tædio iter conficere. Secus esset, si nullum alium incommodum sequeretur, quam quod si solus deberet incedere: non enim ob leue solatium Missa relinquenda est, ut bene aduertit Suar. dist. sect. 6. num. 3. Egid. de Coninch. q. 83. art. 6. dub. vn. nu. 314. Bonac. disp. 4. de Sacram. quast. ult. pun. ult. num. 6. Layman. lib. 4. sum. tract. 7. cap. 4. nu. 3. Item excusantur custodes gregum, qui non possunt Missam audire nisi grege solo relicto. Est enim regulariter periculum grauis damni, sicuti docuit Henric. num. 10. Azor. quast. 7. Bonac. num. 6. Egid. num. 314. Deinde excusant praedicti Doctores mercatores agafanos armentorum, equorumque reductores, qui si Missa assisterent, grauius expensas essent facturi. Praeterea excusatur Suar. n. 3. Bonac. n. 6. molitorem, & quemlibet alium, cui in die festo permittitur, laborare, si ob audiendam Missam opus interrumpere debet. Sed crederem hoc intelligendum esse, dummodo ex intermissione non leuis iactura rei temporalis proueniat.

5. Quartum sumitur ex titulo charitatis, quando tibi necessarium est Missam omittere, ut subuenias proximo, vel ne illi damnum afferas: Quo titulo excusaris Missam omittens, ne infernum deseras, cui tua praesentia necessaria est, tum ut remedia conuenienti tempore adhibeatur, tum ne grauem laborem, & animi anxietatem solus relictus pariat. Quod si dubius fueris, an tua praesentia sit necessaria, vel valde vitilis, consilium alterius (si adit) decet postulari. Raro autem credit Suar. disp. 88. sect. 6. num. 4. re bona fide, & animi pietate procedentem peccatorem moraliter, tamen si tua praesentia necessaria non fuerit quia bona fides, & animi perturbatio excusationem praestat. Deinde aliqui Doctores ex hoc capite excusant feminam scientem se à viro perditè adamari, quae si Ecclesiam adeat, erit alteri occasio peccandi. Ob vitandum igitur hanc occasionem, & proximi peccatum se domi continere posse affirmant. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. Filiucius tract. 5. cap. 7. qu. 11. num. 227. Saa, Missae audicio, num. 3. Bonac. disp. 4. q. ult. pun. ult. num. 15. Addunt tamen non esse obligationem domi manere, quia non est scandalum datum, sed acceptum. At probabilius censo, sicuti iudicauit tract. 6. de char. vit. disp. ult. p. 16. hanc causam non esse legitimam excusationem: non enim praecipuum obseruatio omittenda est ob ruinam proximi, quam ipse sibi voluntarie sumit.

6. Quintum caput sumitur ex officio, seu iusta obedientia, quo titulo excusantur milites custodientes castrum, portus ciuitatis, seu vigilias facientes, quando sine periculo huius damni muneris suo deesse non possunt, ut Missam audiant. Item excusantur pastores noti valentes gregem deserere. Deinde vectores mercium, curiores qui muneris suo satisfaciendum non possunt ad audiendam Missam desineri Praeterea matres, & nurrices, quae infantes deserere non possunt, & satius regulariter est domi retinere, quam secum ad Ecclesiam deferre ob eorum inquietudinem, quae adstantes molestat, & celebrantem perturbat, sicuti bene notauit Coninch. q. 83. art. 6. dub. vn. num. 286. Henric. cap. 25. nu. 10. Bonac. disp. 4. q. ult. pun. ult. num. 5. Sed praecipue hoc titulo excusantur famuli, qui ut Dominis suis ministrant, Missam omittunt. Et quidem si ministerium sit necessarium, iuxta communem, & ordinarium viuendi modum, vel iuxta occurrètes morales, & rationabiles occasiones, certum est nec dominos peccare praecipiendo, nec famulos parendo, tamen si ex illo obsequia Missa omittatur, quia est grauis, & rationalis causa, & moralis necessitas. Quod semper intelligendum est (inquit bene Suar. sect. 6. num. 5. Egid. de Coninch. quast. 86. art. 6. dub. unic. in fine) dummodo famuli non possint mediocri diligentia adhibita opportunum tempus praenire, ut Missae locus sit. Extraordinariam diligentiam adhibere non tenentur. Non enim obligati sunt citius notabiliter surgere, de ordinario, & secundum rationem moderato somni tempore detrahendo. At si ministerium non sit ita necessarium, sed possit in alium diem, vel in aliam horam sine incommodo differri, domini quidem inique faciunt, & grauius peccabunt id praecipiendo, cum non solam sint obligati sibi subiectos à Missa audienda non impedire, sed debitam curam, & diligentiam adhibere, ut Missam audiant, quia ad eos pertinet ne familia Ecclesiastica praeterea contemnat, sed potius exactè obseruet, sicuti firmavit Syluest. Missae. 2. q. 1. Nauarr. cap. 21. num. 9. & significauit Ambros. homil. 33. quadrages. relatus in cap. an putatus, 86. dist. & colligitur ex illo Pauli, 1. ad Corinth. 5. si quis suorum maxime domesticorum curam non habet fidem negauit, & est infideli deretor. Vnde famuli si absque magno incommodo possunt subterfugere, & Missam audire non obtemperando dominis, tenentur facere, tamen si aliqua leuis rixa intercedat. Si vero necesse sit aut dominos deserere, aut grauem iram, & dominorum turbationem sustinere excusari possunt, neque ob id praesertim mandatum hominis diuino mandato, sed eo casu, & illis circumstantiis postis mandatum Dei vixote suae suspenditur, & illius obligatio cessat. Monent verò Egid. Suar. Layman. & alij loco allegatis, debere famulos in-

dicare

dicare domino se non audisse Sacrum, ab illoque facultatem expostulare, tamen si aliquo modo irascatur, quia debent quantum commodè possint, præcepti executionem procurare. Quod si monitus, & rogatus facultatem negauerit, excusabuntur iuxta nuper dicta. Deinde monent, si hoc impedimentum Missæ audiendæ frequens fuerit, & quasi per consuetudinem obligatos esse nacta opportunitate herum desistere, & alium quaerere, cui inferuendo præcepta Ecclesiæ seruari possint. Quæ de famulis dicta sunt procedunt efficacius in vxore, comparatione parentum, & in militibus comparatione ducis, aliisque similibus, sicuti aduertit Suar. *dicta sect. 6. num. 5.*

7. Sextum sumitur ex consuetudine rationabili, & legitimo tempore præscripta à pastoribus Ecclesiæ tolerata, quæ sicut potest legem introducere, ita præexistentem valet abrogare vel temperare. Ex hoc titulo excusantur feminae, quæ per aliquot dies post partum ab ingressu Ecclesiæ abstinent, tamen si perfectè conualuerint, iuxta *cap. vnic. de purificat. post partum*. Ex reuerentia inquam & deuotione, non ex superstitione, & obseruatione ritus, & legis Moysæ, & tradit Caiet. *verbo seforum violatio*. Suar. *disp. 88. sect. 6. vers. sextum caput*. Maiol. *de irregular. lib. 3. cap. 3. n. 4.* Bonac. *disp. 4. de sacram. qu. ult. pun. ult. in fine*. Henric. *lib. 9. cap. 25. num. 12.* Ob menstrua tempora non est Missa omitenda seculæ ægitudine, quia nullibi est talis consuetudo, teste Nauarr. Bonac. Henric. & Suar. supra. Neque contrarium colligitur ex Gregor. in *cap. ult. dist. 5.* dicente: Si mulier ex ueneratione magna percipere Eucharistiam non præsumperit, laudanda est, quia Gregor. loquitur de communionem voluntaria, non de communionem præcepta. Hæc enim sicut & missa non debet ob illam causam omitti. Ob mortem viri solent coniuges excusari à Missa audienda, quia pluribus in locis est consuetudo recepta, ne domo egrediantur ob honestatem, & decentiam uidualem, & rationabilem ostensionem, & significationem tristitiæ. Hæc tamen consuetudo non est extendenda, nec pro omnibus eadem regula obseruanda; nobiliores enim longiori tempore se domi continere possunt, idèque affirmat. Nauarr. *cap. 21. num. 4.* Henric. Suar. *locis allegatis*, hanc consuetudinem etiam annalem damnari non posse. Viduæ vero illæ, quæ non habitant hac consuetudine domo exeunt ad alias res non æquæ sacras, nec vrgentes, nullatenus excusari possunt. Si enim viduitatis decentia, & tristitiæ significatio exitum non impedit, quo titulo impedire potest Ecclesiæ accessum? Nobiles virgines aliquibus in locis excusantur ab auditu sacro, quia est consuetudo recepta, ne in publicum exeant; si tamen hanc consuetudinem violent ob ludos, & publica spectacula videnda, vix crederem excusari posse, tamen si eas excuset Nauarr. Suar. & Bonac. *loc. allegatis*, præsumendum enim est consuetudinem ea moderatione receptam esse, vt fenestras fugiant, & domo se contineant. Quinimo Nauarr. *dicto cap. 21. num. 9.* Henric. *cap. 25. num. 12.* Suar. *sect. 6. num. 6.* Bonac. *pun. ult. num. 2.* cenent si prædictæ puellæ non possint domi solæ relinquere absque periculo pudicitie violandæ, posse matrem, vel aliam personam ob eas custodiendas ab auditu sacro excusari non in vi consuetudinis, sed vt muneris suo satisfaciatur, honorique prospiciatur. Sed raro hæc necessaria sunt, potius consulerem matribus, vt filias secum ad Ecclesias ducerent, quam domi relinquerent. Vix enim ob tanti præcep-

ti executionem periculum impudicitie adest, præcipuè si Ecclesiæ adeant vbi non est adolescentium concursus, & finita Missa statim domum reuertantur.

8. Septimum est maior vtilitas, vel necessitas spiritualis: quæ ratione aliqui excusant eum, qui omittit Missam ob concionem audiendam, vel peccata fatenda, sicuti excusat Angel. *verbo feria. nu. 45.* & alij quos tacito nomine refert. Azor. *1. institut. lib. 7. cap. 7. q. 7. c. 10.* Nihilominus dicendum est dipus consilij præferendum non esse præcepto, etiam si fingatur maioris vtilitas; aliàs tibi liceret loco Missæ audiendæ contemplantioni vacare. Quocirca sententia Angeli solum habere potest verum in casu necessitatis, quando vitæ periculum est, & præceptum confessionis vrget, neque in aliud tempus commodè differri potest. Item quado crederes non inuenturum postea, qui te in rebus fidei, & necessariis ad salutem instrueret, quia in his præcepta confessionis, & cognitionis doctrinæ Catholice vt ipse diuina humano, & Ecclesiastico antefertur.

9. Vltimum caput excusationis sumitur ex parte sacerdotis, si sit nominatim excommunicatus, aut manifestus clerici perculsor, quia prædictum sacerdotem teneris vitare maxime in rebus diuinis, ea de causa si alius non est à quo Missam audire possis, ab obligatione audiendi sacri excusaris, quinimo peccares, si audires. Ob excommunicationem etiam notoriã, ob publicum concubinum, aliudque peccatum scandalosum, et si Layman. *lib. 4. sum. tract. 7. cap. 4. in fine* cenet te excusatum esse ab audiendo sacro in tanti sceleris detestationem, *argumen. c. vestra, c. vlt. de cohabit. clericor. c. mulier. c. 1. præter. 32. dist.* Attamen rectius Suar. aliis relatis *dicta disp. 88. sect. 6. circa finem*, oppositum affirmat. Non enim præceptum, quod commodè implere potes executionem admittit, nisi ea excusatio aliquo iure vel firma ratione fulciatur; at nullum est ius, ex quo hæc excusatio colligi possit: nam prædicti textus temperati sunt à Concilio Constatientiensi, vbi solum excommunicatum denunciatum, & manifestum clericum perculsores obligamur vitare, ceteros verò peccatores publicos toleramus. A tolerato autem Missa audienda est, vt habetur in *dicto cap. vestra*. Ergo. Deinde nulla est ratio firma prædictæ excusationis. Non enim censendus es peccato sacerdotis iniquè celebrantis communicare, ex eo quod tolerat illius celebratione tanto sacrificio assistas, aliàs quoties tibi constaret Sacerdotem in peccato celebraturum, posses ab illius sacrificio recedere, & excusari à præcepto audiendi Sacrum, quod nemo concedet.

10. Denique etsi consilium sit omitrentem sacrum vel ex malitia, vel impotentia aliquas orationes facere, vt sic aliquo modo fructum sacrificij compenses, attamen nullo iure astringitur ad eas fundendas, quia nullibi est cautum loco Missæ prædictas orationes subrogari debere, aliàs essent orationes signatæ, & non arbitrio cuiusque relictae. Neque obstat Missam præcipi, vt eo sacrificio colatur Deus, ab eoque misericordiam postulemus, & impetremus vt inde inferas omisso sacrificio, alia via esse Deum ex obligatione colendum, aliisque precibus exorandum; nam licet hoc maxime expediat, non tamen præcipitur, quia non finis præcepti, sed materia præcepti ex obligatione exequenda est, vt tradit Azor. *cap. 7. q. 14.* Suar. *disp. 88. sect. 6. in fine*. Bonac. *disp. 4. de sacram. q. vlt. p. vlt. num. 16.* Layman. *lib. 4. sum. tract. 7. cap. 4. in fine*. Et alij apud ipsos.